

De Herodoti ratione theologica atque ethica.

## **De Herodoti ratione theologica atque ethica.**

*"Οταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῆι, οὐνοι νόμον μὴ ἔχοντες ἔστιντος εἰσὶ νόμοις, οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν κ. τ. λ.* Paul, ad Rom. 2, 14 sq.

Acta Apost. 17, 23. 27.

I.

**J**am diu ante Persica bella, si haec tempora cum iis, quorum imaginem in Homeri carminibus expressam videmus, comparaveris, magnam illam religionum, studiorum, voluntatum conversionem inter Graecos incepisse, notum est. Pelasgos, ex gente et numero eorum populorum, qui ab Japheto, Noae filio, originem ducunt, jam in Asia, priusquam in antiquissimae Graeciae regionibus domicilia et sedes suas collocarant, a cultu unius veri dei, quem a principio et noverant et venerati erant, paullatim deservisse ad factos et commentitios deos, pro certo habemus. Tamen nemo est, qui neget, etiam in eorum animis, quamvis multis erroribus et tenebris obscuratis, veri dei notionem impressam latuisse ac subinde per quaedam quasi involuera atque integumenta conspicuam eo magis emersisse, quo propiores illi aberant ab eo tempore, quo etiam societate conjuncta erat Noae progenies. Nam illorum antiquissimorum Pelasgorum, qui Thraciam maxime incolebant, proprium erat, ut talibus uterentur moribus similemque vitam agerent, quam illos Judaeorum patriarchas egisse memoriae proditum est. Per multae eorum erant sacerdotum familiae, hereditate amplas regiones sacras possidentes, quae solae eruditione atque opibus conspicuae apud omnes in summo honore erant. Tunc nondum singuli dii aut viribus aut nominibus erant discreti et distincti, sed simplicior quaedam magisque pura deos colendi ratio, ab Herodoto (II. 52) melior veriorque habita, quam quae posteriore aetate in usu fuisset. Nam formas deorum et nomina ab hominibus inventa rejicienda esse (II. 53). Sed Pelasgi illi antiquissimi omnia numina divina communi nomine comprehendentes θεοὺς appellabant, quod omnes res ordine posuissent ac distribuisserent, ut nomen θεοὶ a verbo πατέραι eos derivasse pateat (cf. Clemens Alex. Strom. I. e. θεὸς πατὴρ τὴν θέσιν εἴσηγει καὶ ταξίν καὶ διακόσμησιν. Lob. Aglaoph. p. 1246).

Hanc simpliciorem rationem atque cultum, quum numen divinum per totam rerum naturam pertinere opinati sint, Pantheismum quandam appellare licet, nam specus non manu facti atque trunci cavi habebantur.

pro templis simplicissimis, (e. g. Dodonae, Ephesi, apud Arcadios Orchomenios cf. Hesiod. Frg. 80. Dionys. Per. 829. Hom. Od. 19, 188. Plut. Arist. 11. Paus. 8, 13, 2. 9, 3, 9. 10, 6, 2.), sacri quidam lapides nativi atque rudes, etiam ligna quaedam tantam apud eos habebant venerationem, ut illi deos adesse putarent (cf. Paus. 7, 22, 3. Clem. Alex. Cohort. 4, 40. Eus. Praep. ev. 3, 8.). Tabulae votivae erant prima et antiquissima signa (cf. Aesch. Suppl. 446: *νέοις πίναξι βρέται κοσμῆσαι τάδε.* Ovid. Met. 8, 743.) A cantu carminibusque sacris initium artis musicae et poeticae faciebant; omnes illos antiquissimos cantores, quorum nominum veteres mentionem faciunt, sacerdotes atque vates fuisse fama est, carmina quaedam sacra canentes, neque ea quidem, quae posteriore aetate sub eorum nomine ferebantur. Ex his nominandi sunt Olen, Linos, Orpheus, Eumolpus, Musaeos et alii. — (De indicibus familiarum gentiumque et legum tabulis cf. Photii Lex. s. v. *χύρωσις* et Clem. Alex. Strom. I. 5.). —

Sed hac prisca sentiendi et vivendi forma rationeque praeterita, quum Achivorum indoles et virtutes magis magisque excoletur, heroica tempora secuta sunt, nostro medio aevo haud dissimilia. Nam illi tum acri animo et juvenili cogitationum calore, tum rebus audacter gestis insignes, inter quos quasi perfectissimum exemplar clarissimus ille Achilles proponitur, deos fingebant muneribus et nominibus discretos, humana figura praeditos, potentia, vitiis ac virtutibus supra hominum modum praestantes. Sic ille Pelasgorum antiquissimorum Pantheismus tunc in Polytheismum et Anthropophormismum, quem nunc docti homines vocant, mutatus corruptusque est (cf. Her. I. 131. II. 53, 142. Max. Tyr. 8. 3.). Quae quidem ratio, ut ejus aetatis indoli atque ingenio erat convenientissima, ita mimine Herodoto probata, omnes de diis fabulas, vel pulcherrimas, ab hominibus maxime poetis excogitatas, a se aspernanti. Ea aetate singulis diis jam lapidea tempa aedificata esse videmus (Hom. Il. 1, 39. 2, 549. 7, 83. 9, 404 etc.) et in locum illorum sacrorum carminum epica successisse carmina, quibus heroum regumque vel principum Graeciae virorum res gestas, fama antiqua acceptas, in conventum celebritate eanebant (cf. Hom. Il. 2, 544. Od. 8, 43. 22, 330). Omnia horum carminum praestantissima Homerica esse, nemo est qui nesciat. Quae si tot et tantis virtutibus, per ea ubique disseminatis, se nobis nunc et in perpetuum commendant, quanti ea Graecis aestimanda fuisse putabimus, qui iis insuper tamquam annalium suorum antiquissimorum venerandis monumentis, fabularum de diis deabusque, religionum, institutorum, artium, patrii sermonis, culturae gentis suae propriae, plenissimis fontibus uterentur? Huic aetati etiam Hesiodum adnumerandum esse, quum ex aliis rebus, tum ex Herod. II. 53 cognosci potest.

Sed post illius aevi decursum maturior secuta est Graecorum aetas inde usque ad Persica bella extenta, quae a superiore tam longe differt, ut cum Lobeckio consentiam, de hac re sic judicante, Graeciam ea aetate in tantum mutatam esse, ut, si quis ab Homeri lectione se ad Persici belli scriptores transferat, velut in aliam oram delatus vix illos veteres Achaeos agnoscere sibi videatur, qui laeti praesentibus, futurorum securi, prompti ad agendum, actorum immemores, sollicitudinis et superstitionis causas procul haberent.

Atque ejus aetatis naturam et res gestas plane cognitas habere eo pluris refert, quod nemo, animo non diligenter ad has attento, Herodoteos libros penitus altiusque perspicere posse mihi videtur. Magnum illis temporibus ingeniorum aestum fuisse et nova meditamenta, jam poesis lyricae Doricarum gentium perfectio et philosophorum solutae orationis, fabularumque scriptorum ortus et artium eleganteriorum incrementa testantur. Quum Graeci adolescente paulatim ratione involutas animi intelligentias tunc excutere et semet ipsos cognoscere coepissent, quum eujusvis generis cognitio et eruditio atque

doctrina magis magisque increbresceret, consecuta est illa religionum et de diis opinionum conversio, quam supra commemoravimus. Quamquam enim populares de diis opinione, carminibus superioris aetatis quasi fundamento nixas, si generatim atque universe loqui velis, easdem semper apud multitudinem fuisse haud negari potest, tamen eruditione ac doctrina factum est, ut opinione de diis tunc se ipsae emendarent ac corrigerent, ut omnes errores omniaque vitia, alia a poetis diis tributa, non pauci homines ad meliorem cognitionem perducti ab illis conficta et ad oblectationem, non ad pietatem aut sapientiam comparata esse arguerent, immo ut vana et sacrilega condemnarent. Et Herodotum ipsum ea fuisse opinione, majore eruditione atque animi ingenii diligentiore cultura meliores fieri oportere de diis opinione, documento est gravis illa reprehensio Atheniensium stultitiae, (I. 60) qua illi, omnium Graecorum eruditissimi, decepti magnam venustamque feminam, a Pisistrato ejusque amicis Palladis armis ornatam, pro dea adorassent. Nam hoc magis rudium gentium esse quam Graecorum, et praeципue Atheniensium, omnium ingenii dexteritate et sapientia excellentissimorum. Atque e philosophorum hujus aetatis, Jonicorum, Eleaticorum, Pythagoricorum, placitis ac disputationibus non parvam vulgi opinionum emendationem ac correctionem et conversionem profectam esse videmus, et vel e vi ac natura hujus disciplinae concludi potest. Quum enim initio philosophia, si antiquissimorum vatum sententias et contemplationes de deorum rerumque natura hoc nomine appellari licet, a vulgaribus opinionibus sejuncta non esset, immo eadem cum his esset, et tunc et postea, fabulis poetarum sepositis ac spretis, ea per se ipsa de origine et omnium rerum principiis, de hominum statu ac conditione quaestionem instituebat atque explicabat, ut vulgaribus opinionibus, ex homericis epicisque carminibus profectis, modo aperte modo tecte contraria, plurimum ad eas tollendas conferret; postremum autem, quum iam novae atque verae Christi doctrinae ac religionis major in dies auctoritas collecta et comparata esset, pars quaedam ipsorum philosophorum illam refutare deosque veteres defendere ac tutari conata est.

Jam Thales Milesius, vulgari opinione postposita, aquam dixit esse initium rerum, Deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret. Anaximandi autem opinio erat, nativos esse Deos, longis intervallis orientes occidentesque, eosque innumerabiles esse mundos. Et Anaximenes aerem deum statuit, eumque gigni, esque immensum et infinitum et semper in motu. Atque Xenophanes Colophonius infinitum voluit Deum esse, opinionem de pluribus diis rationi repugnare; nam optimum et potentissimum non nisi unum esse posse, hoc unum esse deum, neque forma neque animo hominibus comparandum, totum sensum, totum visum, totum auditum, totum sui; Homerum et Hesiodum diis omnia turpissima inflxisse atque adspersisse, furari, moechari, mentiri. Praeterea multa in eos invectus est, qui deos, humana voce et forma praeditos, nasci et mori cogitarent.

Si bubus, leonibus, equis ad opera atque artifacia efficienda essent manus, fore, ut tales deos illi sibi fingerent, quales ipsi essent, quum etiam Aethiopes eos nigros et nasu simo atque obtuso, Thraces caeruleis oculis et rubro colore, omnino ex sua ipsius similitudine quaque natio eos sibi fingeret. Quum Eleatae aliquando ex eo quaevisserent, fasne esset, Leucotheae rem divinam aut lamentari fieri, eos, si illam pro homine haberent, rem divinam facere, si pro dea, lamentari vetuit (cf. Aristot. de Xenophane, Zenone et Gorgia c. 1—3. Met. I. 5. p. 986, 24. Diog. Laert. IX. 18 Frag. [ed. Karsten] 1. 2. 5. 7. 21 35. Clemens Alex. Strom. 5, p. 714, 28, 715. Xenoph. Fr. 13: οὐδέ τις ἔσται εἰδὼς ἀμφὶ θεῶν. εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα τύχοι τετελιμένον εἴποντι, αὐτὸς ὅμως οὐκ οἶδε, δόκος ἐπὶ πᾶσι τέωνται.). Porro Heraclitus Ephesius ille tenebricosus multa tam graviter et singularia dicta de rerum

hominumque natura et deo edidit, quae omnia, quotquot ex aliorum auctorum scriptis collecta cognovimus, demonstrant atque ostendunt, quod idem de reliquis illius aetatis eruditis viris dici posse videtur, ejus et vulgi opiniones plurimum inter se discriminis habuisse. Nam omnia ex igni gigni statuit, suum cujusque hominis animum genium esse; homines imaginibus ac statuis preces adhibere, quasi quis cum domibus colloqui vellet, neque deos neque heroes cognoscentes; Homerum propter falsam de diis doctrinam ex omnibus conventibus et certaminibus projici et fustibus muletari oportere (Diog. Laert. 9, 1. τὸν Ὄμηρον ἄξιον εἶναι ἐκ τῶν ἀγάνων ἐκβάλλεσθαι καὶ δαπίζεσθαι. cf. 9, 16. Aristot. de part. animal. I, 5. Stob. Floril. 104, 23 ἥθος ἀνθρώπων δαίμων. 37, 16. Clemens Alex. Strom. 5 p. 711, 20.). — In horum philosophorum numerum etiam Pythagoras referendus est, cuius portentosa sapientia commodissimum nobis ad alias res, illis sublucanis temporibus proprias, transitum praebebit. Is enim, qui Aegyptum peragrassasse et Persarum Magos adiisse dicitur, non solum ex numeris omnia esse putavit et deum esse per naturam rerum omnem intentum et commeantem, ex quo nostri animi carperentur, sed etiam de animorum immortalitate quaedam docuit (cf. Herod. II, 123.) et magnam auctoritatem tribuit divinationi. Nec vero fuit vix ulla aetas omnibus divinationis generibus ea fecundior, ubique in res abditas curam magnam collatam videmus, ubique venturi praesagia et multiplices superstitiones, quas tempora discordiis civilibus turbulentia, piacula multa commissa, salutis desperatio scelerumque conscientia progignere soleant. Atque mysticas ceremonias, quarum prima vestigia in Hesiodeis et Cyclicis carminibus apparent, illis temporibus longe lateque per Graeciam fusas esse ostendit multitudo praestigiorum, qui tunc terras pervagantes non solum caedes et sanguinem, sed etiam prodiga, sacra commissa, et quidquid piaculorum sive singuli, sive populi suscepserant, secretioribus quibusdam ritibus expiabant (cf. Herod. VI, 91. II, 134. de Abari IV, 36.). Hinc mystica sacra, de quibus Homerus verbum dixerat nullum, cultus deorum secretus, religio sepulcrorum, Bacchicæ fabulae et Bacchica orgia, initia Phrygia, hinc artes purificandi, hinc multitudine vaticiniorum et praedictionum. Imprimis nominandi sunt Onomacritus Locrensis et Epimenides (Cic. de Divin. I, 18, Leg. II, 11.), qui concitatione quadam animi et soluto liberoque motu futura praesentiebat, ut Bacis ille Boeotius, de quo vide Herod. VIII, 20. 77. 96. IX, 43. Praeterea IV, 76. VII, 6. Hinc etiam eae oriae sunt fabulae, quae cum naturali et civili theologia conjunctae erant, et ceremoniarum rituumque causas atque origines referre credebantur, quo in genere certe nonnullae *ex iis* sunt, quae *ἰερῶν λόγων* nomine hic illic ab Herodoto et aliis commemorantur (cf. II, 48. 51. 62, 81).

Has omnes res si quis accurate consideraverit, jure meritoque id aevum mysticum agnoscere et nominare poterit, earumque magnam partem partim ex Thracia et Asia, partim ex Aegypto repetendum esse, tum Herodotus ipse (II, 49. 81. I, 35.) tum alii monuerunt.

Nam illis temporibus etiam Aegyptus, superstitionum ac vanitatum plena ac referta, est patetfacta (cf. Herod. II, 112. 154. 178.), quarum contagionem jam ante Pythagoram ad Graeciam pertinuisse libenter consentiat, quicunque diurna crebraque utriusque gentis commercia et unius vaniloquentiam, alterius credulitatem illius temporis et animos respexerit. Eodem temporum spatio etiam Musaei, Eumolpi, Orphei carmina mystica exstisset creduntur, quibus omnibus novae de inferis fabulae sparsae sunt, et iis, qui deorum sacra decreta percepissent, spes beatioris vitae et Elysii sedes promissae sunt, contemtoribus poenae.

Atque his, quae ex meo mihi proposito consilio adhuc breviter percucurri tantum, non expla-

navi, addenda est vis ac natura Nemesis, cujus neque nomen neque numen eo quo postea sensu apud Homerum invenitur. Nam apud eum eo quod posterior aetas Nemesi attribuit munere, dii, praecipue Juppiter, funguntur, e. gr. Od. 14, 283 *Λιὸς ξενίου, ὅστε μάλιστα νέμεσσαντα πανὰ σῷα.* Ajax autem, qui in deserto maris scopolu expositus contemto deorum auxilio insolenter propriis viribus confisus est, a Neptuno, qui lubenter eum servasset, perditur Od. 4, 503. Necdum vocabulum *νέμεσις* apud eum eam habebat vim ac potestatem, ut vindictam superbiaeque poenam significaret, neque apud eum numen diuinum erat, quod has insolentiae poenas expeteret. Sed postea deam Nemesin invenimus, et primum quidem apud Hesiodum Op. 198 et Theog. 223, quam eandem Adrasteam nominatam (cf. Interpr. ad Herod. 1. 35) et ab Orphicis suae doctrinae accommodatam, eandem cum Cybele fuisse docti viri demonstrarunt. Nam omnes illae deae in Asia cultae, Cybele Phrygum, Artemis Ephesiorum et Magnetum, Nemeses Smyrnaeorum, Adrastea Mysorum, Aphrodite Urania Cypriorum, Juno Samiorum, aliae aliarum gentium nomine solum, non natura differunt, magnamque cum Assyriorum dea, Mylitta, similitudinem habent (cf. Herod. I. 131, Bähr et Walz, de Nemesi Graecorum p. 16.). Cultus Veneris Uraniae sive Mylittae ab Assyria in Babyloniam, Phoenicam et universam Asiae oram translatus est, et libidinosa ista religio rudium populorum animos ita cepit, ut etiam in Judaeam ipsamque sacram Hierosolymorum urbem invaderet, mulierumque animos ita deliniret, ut nec severis Jeremiae prophetae (cf. c. 7, 18. 44, 17—20) exhortationibus ab ea avocari possent.

Sed has res pluribus persequi, non hujus est loci; hic id tantum nobis monendum est, notio nemesis illo tempore e mente eruditissimorum et rerum usu atque eventu et suis meditationibus doctorum hominum talem esse factam, ut eam, in moralem rerum divinarum partem translatam atque evectam, vindictam divinam divinamque rerum humanarum prudentiam haberent, quae superbos homines et supra reliquos mortales sese tollentes atque finium mortali naturae constitutorum immemores gravioribus calamitatibus immissis castigare soleret, quo modestiam disserent neve unquam se mortales atque infirmos esse obliscerentur cf. Pind. Pyth. 10, 65. Ol. 8, 114. Aesch. Sept. c. Theb. 419 sqq. 434 sqq. Atque hujus nemesis, cuius oculos nihil effugeret, tantus religiosissimi cuiusque hominis animum occupaverat timor, ut eam semper vestigiis insistentem crederet quodvis factum aut verbum impium videre, audire, punire, et ut poenas deprecaretur formula illa *προσκυνῶ τὴν Νέμεσιν*, vel *τὴν Ἀδράστειαν* vel *τὸν γερόνον* (cf. Aeschyl. Prom. 936. Soph. Phil. 776. Stallb. ad Plat. de Rep. V 451). Et quam multa per secula hic terror ususque obtinuerit, ex eo concludere possumus, quod etiam apud Julianum, anxiis Graecorum deorum cultorem, ea formula invenitur Epist. 29 *Ἀδράστεια εὐμενής, οὐλεως εἴη.* Cui hanc legenti non in mentem veniunt similia pii nostri Herodoti verba (cf. interpr. ad II. 45: *καὶ περὶ μὲν τούτων τοσαντα ἡμῖν εἰποῦσι—εὐμενεῖη εἴη*), quibus a diis atque heroibus veniam sibi petiūt, quae ab homine non certissime affirmari possent, disseruisse?

Jam ad ea tempora devenimus, quibus, proxime puerilem Herodoti aetatem antegressis, bello summoque periculo Graeciae a Persis illato, tanta omnium animorum incitatio atque alacritas fuit tantusque patriae, in summum periculum ac discrimen adductae, amor omnium incensus, ut omnes et corporibus et animis cupidissime ad summam cuiusvis rei laudem ac gloriam adipiscendam contendenter novusque inde rerum status Graeciae novaque temporum atque animorum conditio exsisteret atque effloresceret. Etiam pietatis sacraeque doctrinae novae patefactae sunt viae. Scriptorum illius temporis onge principes fuerunt Pindarus et Aeschylus, quos ut cogitationum vi et novitate, sententiarum gra-

vitate, poetici sermonis magnificentia, copia atque audacia aliis longe praestitisce scimus, ita novas de diis numineque divino sententias, illo ingeniorum aestu profectas, exquisitissimis versibus expressas, scriptis mandasse invenimus. Unde non mirum est, si hoc in genere eorum auctoritatem et apud aequales et apud posteros maximam videmus fuisse.

Ac Pindarus quidem, cujus animus summa fuit pietate ac religione imbutus, quum multa antiqua atque impia respuerit ac veriori opinioni viam patefacere ausus sit, quin primus omnium sit ponendus, ab iis, qui de religione veterum Graecorum temporibus variata enarrant, dubitari non potest. Sed quum jam multi alii plurimum de auctoritate ac fide fabularum deminuerent, factum est, ut Pindari ratio, jam diu praeparata, eo magis eruditissimis viris probaretur ac susciperetur. Quum enim epici illi poetae deos, quasi ipsi oculis eos conspexissent, multa humana divinaque agentes et loquentes ad animos audientium oblectandos fecissent, ut nihil reconditi aut praecepti aut doctrinae in iis fabulis ponerent, tamen, quum rectius de diis Graeci sentire coepissent, praesertim ex quo lyrice carmina in omnium usu florebant, fabulas ita adhibebant, quasi nihil nisi occultas quasdam sententias et opiniones significant. Quo factum est, ut Pindarus, quum quantopere inter fabulas quasdam et sui temporis veriores opiniones interesset persensisset, simulque arbitratus, fabulis spretis non tolli veram religionem ac pietatem, fabulas quasdam diis divinaque majestate indignas prorsus rejiceret, aut alias pro involucre subtilioris sententiae duceret. Quum apud imperitos fabulae illae multum etiam valerent, ipse, quod Aeschylus item interdum faciebat, a traditis salva religione suam sibi sententiam sejunxit, summa pietate motus. Sic de Pelopis fabulis a poetis confictis Ol. 1, 35 sqq. judicavit et mutavit; nam se res tam diis indignas quam rationi repugnantes credere non posse, has a superioribus poetis confictas rumoribusque exaggeratas et in majus elatas potius tacendas esse, cf. Ol. 1, 28. Nem. 7, 20 sqq. Ol. 9, 29 sqq.

Diis nihil superius potentiusque cogitari posse credit, homines impotentes, futuras res nescientes, deorum potestati obnoxios ac subjectos commonendos esse, ut quum omnia vana tum imprimis superbiam fugiant (cf. N. 6, 1 sqq. Paean Fr. 10 [Boeckh] Fr. inc. 3 et 4. P. 10, 48. 9, 67. 44. 3, 59. Ol. 1, 64. 9, 28. 12, 5. 5, 23. sqq. imprimis Nem. 11, 13 sqq.). Inter omnes deos maximus potentissimus Zeus creditur, ut is ex omnibus solus verusque Deus a Pindaro habitus esse videatur (cf. N. 5, 25. P. 6, 23. Ol. 8, 43. 4, 1.), quam de Jove, uno deo, opinionem apud Aeschylum multo etiam manifestiore esse, et viri docti consentiunt et multi loci testantur (cf. G. Dronke, de Aeschylo et Sophocle p. 7 sqq.)

Deos dicit Pindarus, amore hominum, eorumque proborum, motos, omnibus bonis consulere ac patrocinari, omnia praecepta de virtutibus, ab ipsis data, observari velle (cf. P. 3, 45 sq. 9, 31 sq. 135, sq. N. 10, 54. 5, 37. Ol. 3, 41. 8, 52.). In rerum natura inque hominum vita nec temere nec casu aut pleraque aut omnia fieri, sed in omnibus rebus divinam providentiam atque justitiam, homines ad optimam quaeque provehentem, cerni. Fortuna Dea, inconstans illa ac temeraria, quam posteriores, moribus jam corruptis, depravate judicabant obligatis oculis bona distribuere, apud Pindarum nondum reperitur, sed is *Tύχη* servatricem nominat (Ol. 12, 1. σώτειρα) eamque vim ei esse putat, quae hominum vitam a malis defendat ac tegat, simili modo, quo Θέμις Ol. 8, 21 Σώτειρα appellata est. Atque quum invidiam hominum gravissimis verbis ut turpissimum vitium reprehendant, deorum invidiam, quam vocant (*γνόρον*), patet eam animi affectionem ab eo habitam esse, qua illi secundis rebus invidenter, quibus homines male uterentur. Qui autem in rebus secundis moderati neque arrogantes essent, eos a se

defendere posse invidiae divinae mala cf. P. 40, 19 sq. 41, 54. — Itaque arcte cum virtutibus res secundas conjunctas esse (P. 2, 73. 5, 4. 3, 103. Ol. 8, 8.), neque solum post mortem fore ut probi homines meritis praemiis afficerentur, sed etiam, quae esset divina justitia, jam hic in terris aliquando iis omnia bene ac feliciter eventura esse (cf. Thren. Fr. 2.). Sed quanto multi iique religiosissimi viri mysticarum rerum studio tunc flagraverint atque illas de immortalitate atque animorum migratione opiniones, quas Graecis primo alienas, ab Aegyptiis et Pythagoreis profectas esse contendunt, probaverint, inter alios etiam Pindarus testis est, qui sacrorum initia et initiatos magnis verbis praedicat (cf. Fragm. 416, 428.) et Ol. 2, 56 sq. Thren. Fr. 4. hanc persuasionem sibi induit, animos mortuorum, in judicium Rhadamanthi adductos, ter in has terras remigrare atque gravioribus sceleribus incontaminatos tandem in sedes beatorum recipi.

Et Aeschylum quoque erroribus vulgaribusque opinionibus obviam ivisse, jam supra paucis attigimus. Nam etsi ille fabulas a poetis traditas et vulgo receptas saepissime argumenta tragediarum componens adhibebat, ita ut ipse suas tragedias epularum Homericarum frustula quaedam appellare soleret, tamen, quum alias iis sententias, suae rationi convenientes, subjiceret, eas temperavit, excoluit, emendavit, ut earum vis ac natura alia ac nova fieret. Praeter istas fabulas etiam hominum fortuna rerumque eventu atque magna humanae conscientiae vi numen deorum ostendi ac cognosci existimavit. Neque etiam is deos turpia aut impia commisisse credere sustinuit, sed ut humanas res divina justitia ac sapientia regi ac gubernari sibi persuaserat, ita etiam in deorum rebus easdem cerni virtutes voluit (cf. Dronke de Aeschylo et Soph. p. 47. 49. 54. sq.). Ac Jovem quidem summum atque unum verum esse deum finxit, unde omnia alia numina divina penderent (cf. Eum. 228. 786.); ab eo omnes res summa providentia, justitia, sapientia regi (Choeph. 303. Ag. 503. 1449. 1530 Sept. c. Th. 21, 25, 142, 530. Pers. 103), ita ut *μοῖρα* et *ἀλητα*, quippe quae cum maiestate ac sanctitate Jovis conjunctae, nihil aliud quam justitiam divinamque aequitatem significarent. Has in istis fabularum involucris reconditas esse putavit atque has honestati summae summaeque rationi convenientes, oculis auribusque spectatorum subjici voluit, ut omnia mala ipsorum culpa hominum discerent contracta esse atque contrahi, neque ea afferri quadam necessitate aut deorum malignitate, cf. Eum. 529 sqq. Liberam esse docuit hominum voluntatem, atque qualis cujusque natura aut voluntas esset, tales ejus esse res (Sept. c. Th. 390 sqq. 775. Pers. 751.), a deo occaecari neminem, sed sua quemque stultitia mentisque pravitate (Pers. 746. 754. 833.). Quum autem homines ea molestissime ferrent, quae ipsorum culpa contracta essent, inde esse factum fierique, ut illi ex ea re perturbati culpam a se in fortunam deosque averterent (Pers. 348. 356. 467. 740 sqq.). Primum scelus, hominum culpa commissum, nova sequi, partim quod in ipso scelere aliquid positum esset, quod ad novam stultitiam incitaret, partim quod quodque scelus deo ipso jubente oporteret vindicari, quo in scelere vindicando homines plerumque nimis esse ad alia flagitia propensos, rursus secundum divinam justitiae legem vindicanda, ut interdum aliud super aliud cumularetur alicujus gentis scelus, a primo auctore posteris quasi hereditate traditum, dum tota periret. Si quis autem ab hac contagione purum se praestaret, ut culpa, ita poena eum vacuum esse, documento erat Orestes ille matricida (cf. Dronke p. 53 sq.). Unde sequitur, ut ea fuerit Aeschyli persuasio, ut deos vitiis cladibusque pasci negaret aut quemquam immerito ab iis in temeritatem induci atque in exitium abripi, sed ut Jovem justissimum a quoque nefario atque improbo homine, sua sponte agente, justas exigere oportere poenas existimaret (Ag. 728. 1176. 1559. Cho. 395). Xerxem ostendit, quum

singulari insolentia ac superbia pietatem erga deos neglexisset, a deo ultiore in insidias apud Salamina structas inductum, omnem classem amisisse. Aliis locis, quod idem apud Herodotum invenitur, a deo facit Aeschylus, res ita effici, ut is per alium scelera ulciscatur, qui ipse, ut divinae justitiae satisfacit, ita in scelere ulciscendo facillime inducitur, ut, justo modo non servato, nova temeritate deum offendat, ut unum malum paternum avitumque infinitam aliorum copiam afferre possit<sup>1)</sup> cf. Ag. 722—742, Dronke p. 51 sq. Sed hactenus de Aescho.

Sed priusquam longius progrediamur, omnes ejus aetatis mutationes in brevem summam conferamus. Opiniones de diis eruditissimorum hominum, permulto de fide et auctoritate fabularum detracto, prorsus alias factas esse videmus purioresque, quamquam sensu mutato verba nominaque non mutata sint, quae consuetudo multis in rebus ubique inveniri potest. Velut nos quotidie solem oriri et occidere loquimur, tamquam, ut nihil dicam de Aristarcho Samio et Seleuco<sup>2)</sup>, Copernicus noster nos non rectiora docuerit. In divinis vero sacrisque rebus praeterea et patrii moris et ipsius verecundiae ac pietatis et imperitorum opinionum ratio habenda fuit. Imprimis eruditos homines aliorum deorum potentiam ac munera ad unius summi dei vim ac naturam transferre videmus, et rectius sentire de nemesi, de invidia, quam dicunt, de fato, de divina justitia et providentia. Praeterea multa vaticinia, sacra Iustralia et secretiora, mysteria celebrari magis magisque gliscere invenimus; hue accedit et poesis lyricae perfectio et philosophiae tragoeiaeque ortus et incrementa, denique ipsum bellum Persicum, quod omnes totius Graeciae vires exercebat atque augebat, novasque opiniones gignebat.

In hunc medium ingeniorum aestum, in media haec turbulenta tempora Herodoti pueritia incidunt, ad quem erudiendum et conformandum tum illa superiora ac proxima tum aequalia tantum valuerunt, ut ab iis sejungi non possit. Neque enim Herodoti ratio per se sola, ex ceteris similibus exempla, consideranda est, sed ut, si de religione veterum Graecorum ejusque commutationibus disputatur, quem locum numerumque ille obtinuerit, spectandum est, ita qualia fuerint illa tempora, illae res, rationes opinionesque, quae ad animum ejus formandum maxime pertinebant, pervestigandum. Qua ex re illa omnia breviter et summatim mihi indicanda esse existimavi, quod illis neglectis Herodoti de numine divino ratio recte intelligi non posse mihi videbatur. Nam non solum quas res quis scripserit, discendum est, sed etiam ex quibus quasi fundamentis et radicibus ejus opiniones atque sententiae natae sint, ut ejus animum sensusque penitus perspectos habeas. Itaque mihi primum de disciplina atque eruditione Herodoti dicendum erit, deinde de fato et divino numine, tum de virtutibus ac vitiis hominum, de pietate et de moderatione ac continentia animi, postremo de universo hominum statu ac conditione

<sup>1)</sup> Haud inepte hic cum iis Aeschyli sententiis comparari posse mihi videntur verba illa, quae noster Schiller in Picol. V, 1. Octavianem facit loquentem:

Das eben ist der Gluck der bösen That,

Das sie forzengend, immer Böses muß gebären.

<sup>2)</sup> Primum Hicetam Syracusanum, quem Ephantus Pythagoreus et Heraclides Ponticus c. 335 ant. Chr. n. sequerentur, coelum, solem, lunam, stellas, supra denique omnia, stare censuisse, neque praeter terram rem ullam in mundo moveri; quae quum circum axem se summa celeritate converteret et torqueret, eadem effici omnia, quae, si, stante terra, coelum moveretur, Theophrastum memoriae prodidisse, Cicero refert Acad. Pr. II. 39. cf. Oettinger, die Vorstellungen der Gr. und Römer über die Erde als Himmelskörper. (Freiburg 1850.)

## II.

Herodotus nobili et spectata familia Halicarnassi urbis ortus est (cf. Suid. s. v. *Ἡρόδοτος*). Inter ejus cognatos maxime ingenio et scientia eluxit Panyasis ille poëta epicus et vates, quem ad studia, voluntatem mentemque ejus ad certas quasdam res dirigendam nonnihil valuisse, non solum ex ipsa cum eo necessitudine, sed etiam ex argumento ejus scriptorum, a veteribus commemorato, conjici licet. Nam ille, ab Alexandrinis grammaticis in numerum ordinemque quinque optimorum epicorum poetarum redactus, duo potissimum carmina confecisse dicitur, Heracleam libris quatuordecim constantem, et Jonica. In Heraclea cecinisse poëtam res ab Hercule gestas ejusque fata, non modo ex ipsa carminis inscriptione, sed etiam ex veterum testimoniis appareat (cf. Paus. 10, 29.). Jonicorum quale argumentum fuerit, ex Suida (s. v. *Πανύασης*) cognosci potest, referente, eum in iis exposuisse res Codri atque Jonum in Asiam coloniam a Neleo deductam. Atque etiam Herodotum diligentissime in ea, quae de Hercule ejusque cultus sedibus a majoribus memoriae prodita erant, inquisivisse, cum ex aliis locis cognoscimus, tum imprimis ex II, 44, ubi de hac sola causa se Tyrium iter suscepisse scribit. Neque mediocre ad res narrationesque Jonum pervestigandas studium atque operam cum adhibuisse, ea, quae nobis de Codro, Neleo Jonibusque narravit, arguunt (cf. V, 65 sq. IX, 97. I, 142—148. II, 152. VII, 94 sq.). Praeterea ut Panyasis multum se ostentis ac prodigiis interpretandis dedisse dicitur, unde etiam cognomen *περασκόπος* invenit (cf. Suid. s. v. *Πανύασης*), ita Herodotum unum omnium maximam in cognoscendis colligendisque prodigiis ac vaticiniis curam posuisse scimus. Sed quamquam de educatione et institutione Herodoti nihil usquam memoriae traditum est, tamen dubitare non possumus, quin is liberaliter educatus atque instructus fuerit, cuius ipsius libri eum summa vi et assiduitate in cuiusvis generis doctrinam et cognitionem incubuisse evincant. Plurimum autem ad animum ejus, pueri aut adolescentis, in divinas res mirifice erigendum atque pura religione imbuendum valuisse Persarum immensas illas copias a parvis Graecorum exercitibus profligatas, quis est, qui neget? Quum enim fama de clade per omnem terrarum orbem perlata in omnium ore et sermone esse coepisset, quod initio vix credi posse videbatur, esse fugatas fuisque Persarum catervas, quas ipse Herodotus a nonnullis invictas et paene divinas habitas esse haud obscure significat (VII, 203) atque Graeciae libertatem restitutam novumque tempus illuxisse, tum nostrum adolescentem, ad tales sermones cupidissime admoventem aures, haud inepte conjicias ex ore quorundam piorum hominum accepisse has et similes voces: Illud non humanis viribus evenisse, sed vim et justitiam divini numinis fuisse in causa, omnia ad mediocritatem revocantis omnemque immodestiam superbiamque attenuantis; hujus immodestiac Persas Xerxesque luisse justissimas poenas, Graecas res mirifice esse auctas; nam elatissima quaque numen divinum, cuius nutu atque arbitrio omnia sapientissime regerentur, deprimere, indeque omnia mutari omniaque fortunae vicissitudini obnoxia esse (cf. VII, 10, 6. 49.). Talia verba, talesque cogitationes nunquam ex ejus animo, et libertate et humanitate servata, erecto atque alacri exciderunt, per totam vitam, quamvis magna in varietate versatam, insederant. Haec ei fuit causa omnia diligentissime scisitandi atque indagandi, haec ei scribendi, hoc totius operis consilium, quod ipse in exordio sic pronuntiavit, ut diceret, se de rebus factisque et parvis et magnis scripturum esse, ne ea in oblivionem venirent, quum nihil in eodem statu maneret, sed omnia varia essent, praecipue de causis, quibus bellum inter Graecos et Persas ortum esset, quique rerum eventus secuti essent, sibi in animo esse exponere.

Sed fuerunt atque etiam nunc sunt, qui hoc exordium ab ipso Herodoto scriptum esse negent. Ptolemaeum enim Hephaestionis filium, cognomine Chenni, grammaticum, quem uno circiter seculo post Christum natum floruisse scimus, Photius<sup>1)</sup> auctor est tradidisse, Plesirhoum quendam Thessalum, Herodoti amicum et bonorum heredem, totum prooemium adscriptisse, ipsum Herodotum, quod ad rem veritatemque multo accommodatius esset, initium libri posuisse hisce verbis: Περσέων οἱ λόγιοι κ. τ. λ. Atque eum haec tradentem nonnulli etiam recentiores secuti sunt, quos tamen ipsa veritatis ac fidei Ptolemaei istius dubitatio maxima tardiores ad credendum facere debebat. Nam Ptolemaeo isto excepto nemo omnium doctorum hominum, quos posteriora tempora multos, interiores et reconditas res et literas diligentissime perscrutantes atque reconditae doctrinac copia et ingenii subtilitate insignes, tulerunt, ullam unquam illius fraudis mentionem fecit, aut ullo verbo, de nostri exordii auctore unquam dubitatum esse, significavit. Immo Aristoteles (Rhet. III, 9.), Dionysius Halic. (ad Pomp. VI, 767) Dio Chrys. 53, p. 278. Lucian (πιὸς δεῖστησιαν συγγράψειν §. 64.) alii non solum istam rem prorsus ignorant, sed etiam verba quaedam ex illo prooemio sumpta ita commemorant, ut ea ad Herodotum referant auctorem. Sed doctorum hominum studio et opera nunc exploratum compertumque habemus, illis temporibus multorum grammaticorum moris fuisse, ut ad solam admirationem movendam et animos audientium novitate qualibet suaviter oblectando subito de remotissimis rebus disputarent rerumque miracula in medium proponerent, et rebus et auctoribus partim confictis, partim commentis adulteratis. In hunc autem numerum etiam istum Ptolemaeum referendum esse, et ex iis concludi potest, quae ipse Photius l. l. de ingenio hujus grammatici judicavit, — levitatis enim et vanitatis crimen non falso in eum contulit — et ex quibusdam ejus scriptis, quorum indices, a Suida memoriae proditi, magnam quandam reconditae doctrinae speciem prae se ferunt: Σχίγξ, παράδοσος ιστορία, et ex iis, quae Photius retulit. Et in Anthomero quidem earum rerum scientiam ille sibi sumpsisse dicitur, quae sciri non potuerint. Atque in ejus libris περὶ τῆς εἰς πολυμαθίαν κανής ιστορίας inscriptis, ex quibus Photius nonnulla excerpit, tam multa commenta, a fide aliena, inveniuntur, ut nihil in iis veri, merae nugae ineptiaeque infuisse videantur. Veluti, quod ad nos de Herodoto disputantes pertinet, ille auctore Photio l. l. commentus est, fratri ab Adrasto illo (Herod. I, 35) imperfecto Ἀγάθων nomen fuisse, eumque certamine de aliqua coturnice inter fratres orto occisum esse. Praeterea narravit, Aethum quendam oraculum a Phemonoe, antiquissima illa Phythia, editum tenuisse, eumque fuisse illum, ab Herodoto quidem (I, 51) silentio praetermissum, qui in illo aureo aquali sive labro, a Croeso Apollini consecrato, falsum nomen Ασκεδαμούτον inscripsisset. Huc adde, quod de Candaulis uxore, cuius nomen Herodotus (I, 8 sq.) non commemoravit, et de Plesirhoi interitu tamquam certissimum tradidit. Ab illa enim, nomine Nysia, quum mirificam quandam gemmam possedisset accrimoque videndi sensu fuisse praedita, Gygen ex cubiculo furtim discedentem statim visum esse; alios autem eam nominasse Τονδοῦν, alios Κλυτίαν, alios Άβρων; sed quod Herodotus nomen uxoris reticuisse, hanc fuisse causam: Plesirhoum, Herodoti amicum, mulierculae cuiusdam Halicarnasseae, nomine Nysiae, amore perditum, quum eam non in-

<sup>1)</sup> Biblioth. Cod. 190: ὡς Πλησίδηος ὁ Θεσσαλὸς ὁ ὑμνογράφος, ἐρώμενος Ἡροδότου καὶ κληρονόμος τῶν αὐτοῦ, οὗτος ποιήσει τὸ προοίμιον τῆς πρώτης ιστορίας Ἡροδότου Ἀλικαρνασσέως τὴν γὰρ κατὰ φύσιν εἶναι τῶν Ἡροδότου ιστοριῶν ἀρχὴν, Περσέων οἱ λόγιοι Φοίνικας αἴτιος γενέσθαι φασὶ τῆς διαφορῆς.

venisset, hunc dolorem non sustinuisse atque suspendio vitam finivisse; unde nomen Nysiae tam odiosum factum esse Herodoto, ut consulto nunquam postea idem, ne tum quidem, quum alias feminae ejusdem nominis et alias rei facta esset mentio, aut dicere aut scribere vellet. Hanc vero praeclararum narrationem quam leviter ille grammaticus sibi finxerit, ex iis videmus, quae supra ab eo tradita commemoravimus, ubi fidenter sane affirmaverat, superstitem Herodoto fuisse Plesirrhoum ejusque heredem et prooemii auctorem. Denique ne cui ulla de vanitate et fatuitate Ptolemaei dubitatio relinquatur, etiam ea hoc mihi transscribere liceat, quae ille de notatione nominis Ulyxis halucinatus est: *Οδυσσεὺς διόπι  
ωτα μεγάλα εἶχεν, Οὐης πρότερον ἐκαλεῖτο ὑετοῦ δὲ φῆται γενομένου μὴ ἀνισχοῦσαν τὴν μητέρα ἔγ-  
κνον οὐδαν κατὰ τὴν ὁδὸν τεκεῖν, καὶ τὸν Όδυσσεα διὰ τούτο οὕτως ὀνομασθῆναι.* His omnibus igitur ante oculos positis, Nitzschius, vir doctissimus, qui de prooemio Herodoteo subtiliter disseruit (Gryphius 1860), quin mihi persuadeat, haud multum abest, opinans, Plesirrhoum amicum Herodoti fuisse omnino nullum, sed id nomen ex Halicarnasseo a Ptolemaeo corruptum esse.

Sed quum Plesirrho sublato idcirco ipsum Herodotum concedendum sit auctorem prooemii fuisse non comprobatum esse, alii, qui obstinato animo illud ab Halicarnasseo abjudicandum esse existimaverunt, crassiore filo prooemium pertextum esse contenderunt, quam quod a laudatissimo nostro scriptore scribi potuisset. Quorum rationes quum Nitzchius l. l. certissimis argumentis, quae hic mihi non repetenda esse videntur, jam refellerit, alios quosdam locos praecipuae prooemii sententiae haud dissimiles afferam et qui eundem cum illo auctorem arguere videantur. Quae enim prooemii verbis ratio ac sententia subest, rerum humanarum memoriam facile oblivione obrui posse crebramque ex alio in aliud esse vicissitudinem atque mutationem, eandem quum aliis locis etiam magis perspicue pluribusque verbis expressam invenimus, tum his: I, 5. τὸν δὲ οἰδα αὐτὸς πρῶτον ὑπάρχειντας ἀδίκων ἔργων ἐς τὸν Ἐλληνας, τοῦτον σημήνας, προβήσομαι ἐς τὸ πρόσω τοῦ λόγου, ὅμοιως σμικρὰ καὶ μεγάλα ἀστεῖα ἀν-  
θρώπων ἐπεξιών τὰ γὰρ τὸ πάλαι μεγάλα ἦν, τὰ πολλὰ αὐτῶν σμικρὰ γέγονε τὰ δὲ ἐπ’ ἐμεῦ ἦν μεγάλα, πρότερον ἦν σμικρά τὴν ἀνθρωπηὴν ὡν ἐπιστάμενος ἐνδαιμονίην οὐδαμὰ ἐν τωντῷ μέ-  
νονταν, ἐπιμνήσομαι ἀμφοτέρων ὄμοιώς. His simillima planissime explicavit l, 32, 207. VII, 46, 203. Haec verba universum Herodoti in rebus exponentis consilium declarant ejusque summum veri studium, quod consilium ex sua religione et pietate profectum sic persecutus est, ut res relatae nihil nisi documenta, ad illam sententiam probandam vimque numinis divini declarandum allata esse videantur. Inde fit, ut quasi sacro quodam munere ille perfunctus nobis videatur, sacrosque quosdam libros nobis videamus legere, et quum ea omnia admirabili quadam oratione, sententiarum luminibus ornata et canora numerorum latentium dulcedine insigni, composuerit, exstitit inde mirifica illa venustas, quae legentium animos retinere et delenire nunquam desinat.

Quanto scrutandi et investigandi studio noster fuerit simulque quantopere rebus divinis cognoscendis studuerit, quum aliae res documento sunt, tum imprimis quod itineribus multis et longinquis suscipiendis haud exiguum vitae partem impendit, ut aequo jure atque Hecataeus Milesius πολυπλοκῆς vocari possit. Et quae in illis itineribus de Aegypto Aegyptiisque nobis tradidit, et ei ipsi gravissima esse videntur, et nobis religionem ejus ac pietatem dijudicantibus non levi aestimanda sunt momento. Nam quum primordia Graecarum religionum caerimoniarumque pleraque ab Aegyptiis repetat, eosque diligentissime in diis colendis versari non semel dictitet atque cumulatissima eos ornet laude, quod et antiquitate et omni cultus humanitatisque genere multo jam tempore ante ceteros populos insignes fuis-

sent (II, 35, 37, 50, 160), vel inde nobis conjecturam facere licebit, quanta ejus animus, ad divinas res propensior, cupiditate Aegypti cognoscendae affectus fuerit, quanto studio quantaque cura omnia perscrutatus sit, qui de eorum rebus exponendis totum singularemque librum scriperit. Quamquam etiam in iis tam prudenter versatus est tamque diligenter omnia consideravit, ut is non solum doctissimus et eruditissimus, sed etiam acutissimus et ingeniosissimus hoc in genere Graecus ille nobis putandus sit. Sed in illo laudatissimo libro, qui totus est de Aegyptiacis rebus, quidam inveniuntur loci, ad naturam nostri ejusque religionem dijudicandam gravissimi, sed quos tam varie interpretentur, ut alii aliud inde collegerint. Sunt autem ii loci, ubi quasdam res sibi traditas aut conspectas reticendas esse existimavit. Quaeritur enim, quae ei illius reticentiae fuerit causa. Sed non solum illi secundi libri loci considerandi sunt, sed etiam omnes alii, ubi quid sibi silentio praetereundum esse arbitratus est, omnesque mea quidem sententia in tria genera describendi.

Unum genus est eorum, ubi de rebus humanis disserens causa reticentiae addita ideo se mentionem rerum facturum esse negat, quod eae aut memoria non dignae, aut ab imperitis hominibus non creditae sint. Ejusmodi generis sunt loci I, 193. VII, 96. — Alterum genus est eorum, ubi homines quasdam, quum probe sciret, lectoribus notos facere noluit, veluti I, 51 nomen ejus reticet, qui falsam *Ααχεδαιμονίων* inscriptionem, quam jam supra commemoravimus, fecerit; IV, 43 nomen illius Samii, qui pecuniam eunuchi Sataspis interverterit; II, 23 nomina eorum Graecorum, qui de animorum immortalitate et migratione sic exposuerint, quasi haec ratio, ab Aegyptiis inventa, ipsorum propria esset. Quin autem noster hic Pherecydem Syrium, Pythagoram, Empedoclem (in carmine *Καθαροι*) significaverit, nulla esse dubitatio videtur. Cum hoc loco et alii et hic Plutarchi (Symp. 1, 374) comparandus est, ubi convivae, quum forte Lucio Pythagoreo praesente de piscium abstinentia mentio facta esset, inceptum sermonem continuo abrumpunt. Adhibebant enim verecundi veteres lenitatem quandam aut reverentiam et hominibus, quorum nomina virtute ingenioque ac meritis apud omnes erant magna, et rebus, vel jam notioribus neque apud omnes sanctis, ut nihil de iis in publico jactarent. Aliis locis Pythagorae nomen appellare Herodotus non dubitat IV, 95 bis et 96, ubi ea, quae narravit de Getis et Zalmoxi, qui et aliis cum Graecis et maxime cum Pythagora, non infirmissimo omnium sophista, consuetudinem et usum habuisset, quippe Getis de animorum immortalitate doctrinam tradidisset, satis declarant, nostro de eadem re, sed de aliis hominibus disserenti iis in locis reticentiae causam fuisse nullam. —

Tertium genus est eorum, ubi de divinis rebus sic indicavit, ut aut ipse sua verecundia numinis divini, neminem alium respiciens, quominus quid diceret aut accuratius definiret prohiberetur, aut aliorum veneratione dei et sacra doctrina, quamvis ipse omnia alia sentiret, adduceretur, ut in sacris exponendis parcus atque restrictius ageret et tacenda in sacris tradita taceret. Prioris generis exempla sunt II, 3. 45 fine. IX, 65, ubi, quum dixisset, se mirari, quum juxta lucum Cereris (apud Plataeas) dimicaretur, ne unum quidem Persarum visum esse intrasse fanum, neque circa templum occubuisse, sed plerosque in profano, sic pergit: *δοκέω δέ, εἴ τι περὶ τῶν θείων πρηγμάτων δοκέειν δεῖ, ἣ θεὸς αὐτῆς σφεας οὐκ ἐδέκετο ἐμπρήσαντας τὸ ἐν Ἐλευσίνῃ.* Neque enim scire quidquam posse statuit Herodotus de divinis rebus, nisi quae ab ipso numine divino sive oraculis, portentis, prodigiis aliisque rebus tradita, sive quae hominum animo et omni rerum gestarum memoriae ab illo impressa, omnibus perspicacioribus hominibus aperta essent. Itaque crimini vertendum esse, si quis plus quam humana sors

ferret, arrogans ex sua mente se aliquid certi de diis pronuntiare posse putaret. Quam longe igitur abhorrent a veritate ista verba Baehrii (ad II, 45), ideo Herodotum, ut dii heroesque sibi propitii esse vellent, precatum esse opinantis, quod de rebus disseruisset, quas tangere nefas esset, quum ad arcanas religiones ac mysteriorum doctrinam pertinerent. Sed illo loco, qui totus est de Herculis rebus exponendis, ne uno quidem verbo de arcanis religionibus aut mysteriis cogitandum esse indicavit. — Aliis locis, veluti II, 46 et 47 tam religione quam pudore, quominus quid apertius diceret, prohibitus fuisse videtur, quum quaedam ab aliis tradita ad sanctam augustumque Deorum naturam minus decora viderentur. Hanc opinionem veram esse, ipsa verba, quibus noster illis locis usus est, arguere videntur; dicit enim priore loco: *οὐ μοι ἡδιόν ἔστι λέγειν* — et altero: *δὲ λόγος — ἐμοὶ ἐπισταμένῳ οὐκ εὐπρεπέστερός ἔστι λέγεσθαι.* — Aliis denique locis et rebus et verbis et omnino Herodoti ingenio significari et declarari mihi videtur, eum de reticentia sacerdotibus se accommodasse. Quamquam enim sacerdotes nostro Aegyptum peragranti non gravate sacrorum causas, ritus, auctores tradidisse ipsa enarratio testatur, tamen illi *ἴσοι λόγοι*, qui ex historia deorum repetiti in expositione rerum gestarum versabantur, unde ab Herodoto *ἀπηγγίαται* appellati (II, 3. cf. Paus. 2, 37.), ejusmodi fuisse videntur, qui privatim quidem nostro impertirentur, sed quos sacerdotes nollent in commemorandis rebus mysticis (*ἐπὶ τοιούτῳ πρόγυματι* II, 86. 132.) evulgari. Et huic meae sententiae etiam id suffragari videtur, quod ipse Herodotus tali in re vocabulo *μυστήρια* usus est (II, 171), quo nisi quid arcani subfuisset, eum non usurum fuisse puto (cf. Diod. 1, 83). Sic igitur statui par esse videtur, Herodotum quibusdam in locis quae in arcanis a sacerdotibus relata erant reticentem et sacerdotibus et suae modestiae hoc concessisse. Ejusmodi locus est 2, 61: *τὸν δὲ τύπτονται, οὐ μοι ὅστιόν ἔστι λέγειν*, ubi Osiridis nomen Herodotum noluisse nuncupare, inter omnes constat (cf. Lob. Agl. 800 sqq.) Nam fieri potuisse, ut nomina sola *μυστάζα* fuerint, res gestae autem in vulgus notae, a Lobeckio edocemur (Agl. p. 1287). Ipsius autem Herodoti animum horruisse ac reformidasse ipsum Osiridis nomen, ut ne dicere quidem id voluerit, mihi non persuasum est, quamquam Nitzschius, vir doctissimus, qui in illa commentatione „Herodotea“ inscripta (Duisburg 1858) permulta rectissime disputasse mihi videtur, idcirco Herodotum statuit Osiridis nomen tangere fugisse, quod illa sacerdotum commenta ad divini numinis praecipuam et singularem dignitatem minus decora viderentur. Ut vero nulla apud me dubitatio relictia est, quin Herodotus illa commenta non vera habuerit, quod cum universa ejus de numine divino opinio, de qua infra explicabimus, tum imprimis illi probant loci, ubi de iis, quae ab Aegyptiis essent inventa (*ἔξενοίσχειν* II, 4. 64. 82. 123. 156. III, 33.) disputavit iisque gloriolam quandam atque vaniloquentiam exprobavit (III, 16), ita non horrore quodam nostrum perfusum illud nomen reticuisse puto, sed et temperantia quadam et obsequio sacerdotum motum et verecundia vel exterorum sacrorum, quamvis suis cum opinonibus non convenientium, id fecisse; quae res eum distinguit cum ab aliis tum ab impio illo Cambyses, qui sacerdotes flagellis caedebat Apisque ab ipso irrisi femur gladio percutiebat (III, 27 sq.), quemque, quum Aegyptii contenderent hujus foedissimi facinoris illum poenas luentem in furorem incidisse, (III, 30) noster in eo manifesto impietatis crimine longe aliter judicavit negavitque inde ejus insaniam esse ducendam (III, 33. 38). Sibi ipsi autem historico, alio loco (II, 123) profitetur, ab Aegyptiis relata referenda, sed non omnia credenda esse; quum autem omnibus hominibus suae cuique leges suaque cuique instituta, a majoribus tradita, quamvis prava et inhumana, pulcherrima esse viderentur, summae

esse dementiae, si quis religiosos ritus aliorum populorum ludibrio haberet (III, 38. 82.). Huc etiam ea, quae ei in occulto tradita sunt, revocanda esse mihi videntur<sup>1)</sup>.

Sed ut revertamur ad nostrum locum (I, 61), ibi ipsum nomen Osiris Herodotum non putavisse sibi abominandum esse, vel inde intelligi potest, quod id aliis locis e. gr. II, 144. 156. nuncupare non dubitavit. Nam ibi, quod magnopere attendendum esse videtur, non commemoratur ἴρος λόγος, non in sacris ibi id nomen traditur (*ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι, θεῖα πρήγματα, ἀπηγόματα*), sed scriptor, re ipsa postulante et narratione cogente (*ἐπὸ τοῦ λόγου ἔξαναγκαζόμενος* II, 3. 65. VII, 96. 99. 139), alia occasione et ratione id sine ulla haesitatione profert, ut ubique eodem modo, quo ipse audivit, retulisse existimandus sit. Etiam et illo et aliis locis vocabula ὄσιον, ὄσιη, εὐστομα κείσθω, quibus usus est, non sine certo quodam consilio hic a nostro posita esse videntur. Ejusdem modi sunt loci II, 48. 62. 65. 81. 86: *τοῦ οὐκ ὄσιον ποιεῦμα τὸ οὐνομα ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι οὐνομάτειν* 132. 170: *εὐστομα κείσθω-πλὴν ὄσον αὐτῆς ὄσιη ἐστὶ λέγειν* 171 bis. Si quis igitur de illis spectaculis (*δείκηλα* II, 171), quae speciem imaginemque Osiris casuum exhibebant, quaeque ipsi Aegyptii mysteria nominabant, accuratius quid se scire profiteatur (II, 171), eum facile concedemus admissum certe arcanis fuisse, ne dicam initiatum.

Graecis autem mysteriis Samothraciis nostrum initiatum fuisse, docet ille locus II, 51. Quamquam enim ne hic quidem aperte ipse se initiatum fuisse affirmavit, tamen quum dicat, si qui initiati essent, eos scire, quae intelligi vellet, nonne inde necessario efficitur, ut, quae initiati scirent, eadem ipse haud ignoraverit? Quod nisi esset, ut ad ea respiceret, fieri non potuisset. Neque etiam mirandum esse videtur, si etiam Herodoti, quem in oraculis, somniis omnibusque miraculis et colligendis et explicandis diligentissimum fuisse cognovimus, ingenium ac mores initio propensiores fuisse inveniamus ad mysticas res, quarum rationes atque usus multo ante Persica bella per Graeciam increbruisse, jam supra indicavimus (cf. Naegelsb. nachhom. Theol. p. 387 sqq. 398 sqq.). Praeterea nonne eum, cujusvis cognitionis et scientiae amore incensum, etiam hac occasione, de divinis rebus accuratius quid discendi et cognoscendi, usum esse putabimus? Sed hac ipsa in re ejus, Graeci viri, tum pietas atque verecundia tum acumen atque intelligentia cernitur, quod, quum neque credulus neque superstitione captus fuerit, sed omnia hominum licentia ac temeritate ad humanam similitudinem conficta abominanda esse putaverit (II, 3. 52), tamen cujusvis populi de diis opinionem, quantumvis a sua abhorrentem, neque convolvendam neque ludibrio habendam esse existimavit. Simul Herodoti ratione et exemplo edoceatur, fabulas et narrationes et examinari et impugnari et in dubium vocari salva religione potuisse.

Sed non solum ea eruditione, quod permultum tempus in peregrinationibus consumsit, indeque plurimas gravissimasque res ipse cognovit dijudicavitque, facile inter aequales primus habendus est, sed etiam quod omnia, quae artibus literarumque monumentis et sui et superiorum temporum exstabant, accurate perscrutatus est, quodque omni liberali doctrina humanitateque politissimus erat, non minus admirandus est, quam quanta diligentia omnes alias res exploraverit. Etenim etiam ad illas res eum ita animum advertisse videmus, ut omnia ad suam veriorem opinionem exigeret atque examinaret, ne-

<sup>1)</sup> Cf. Lob. Agl. p. 66, qui reverentiae arcanis adhibitae teste usus est Cicerone, modeste de juris auguralis mysteriis dudum evulgatis loquente eo tempore, quo hanc scientiam impune jactare posset (Cic. pro Dom. 14. 15. 46.) cf. et Ovid. Fast. 4, 552. Soph. Oed. C. 624. 1526.

que errores aut facta atque inania, quae suae sententiae rationique contraria, sed vulgo credita erant, audacter et libere detegere ac coarguere dubitaret. Veluti, ut quaedam jam nunc afferam exempla, acri judicio eum usum Helenam intra Trojae moenia unquam fuisse negantem invenimus (II, 120), affirmantem, hominum, Homeri atque Hesiodi poetarum opera et commentis factum esse, ut, Pelasgorum simpliciore deos colendi ratione relicta, singuli dii vulgo distinguerentur atque nominarentur, eorumque magis ad modum et conditionem humanam conformatorum origines, generationes, munia ac jura constituerentur (II, 53), negligentem denique factas poeticasque fabulas, quae ea narrarent, quae ab hominibus omnino sciri non possent cf. I, 5. 51. 60. II, 45. 56. 73. 143. 155. III, 56. IV, 76. 105. V, 36. 125. VI, 137. Accurate eum libros fabularum et rerum annaliumque scriptorum et sui et superiorum temporum cognovisse cum alii tum hi declarant loci II, 3. 16. 20. 21. 45. 134; etiam philosophorum scripta ac placita perspexisse, hi I, 8. 29. 59. II, 49. 81. 123. IV, 95; poetarum denique cuiusvis generis perfectissimam sibi parasse cognitionem inter alios hi loci testes sunt: I, 13. 23. 24. 32. II, 2. 23. 53. 113 — 117. 120. 134 sq. 156. 171. III, 38. 121. IV, 13 — 16. 32. 35. V, 58 sq. 65. 67. 95. VII, 6. 20. 77. VIII, 96. IX, 43.

Deinde ut eum Atheniensium merita ac virtutes plurimi aestimare eorumque res nomenque illustrare non dubitavisse (VI, 112. VII, 139), ita totius ejus operis rationem naturamque videmus ita esse comparatam, ut facile perspiciamus, Atheniensium artes et doctrinam, summam elegantiam et venustatem, quavis in re conspicuam, quibus illi Periclis aetate florebant, non solum in ejus mentem, cogitationes, consilium habuisse vim maximam, sed etiam in orationis ejus habitum atque colorem. Neque, quum illo tempore nemo fere paulo eruditior fuerit, quin scenicos ludos, scenica argumenta tragicosque poetas valde admiraretur, ulla est dubitatio, quin etiam Herodoti animum eae res rexerint atque moverint. Et Aeschylum quidem ei notum fuisse et ex aliis rebus jam supra commemoratis et ex his locis intelligi potest: I, 207. II, 156. Imprimis autem cum Sophocle nostrum scriptorem familiaritatem contraxisse, vel inde conjici licet, quod apud Plutarchum epigrammatis a Sophocle Herodoto compositi pars quaedam exstat<sup>1)</sup>). Praeterea commercii inter utrumque intercedentis argumenta a nonnullis gravibus sententiis utrique communibus petenda sunt, quae Herodoti sententiae saepius cum Sophocleis sic conveniunt, ut alter alterius vestigia legisse alteriusque verba expressisse videri queat. Ex hoc genere sunt loci Herod. I, 2. 8. conferendi cum Soph. Oed. Tyr. 1247 (1237). Ant. 146. Phil. 695. — Herod. I, 31, sqq. (V, 4. 7. 46.) conferendi cum Soph. Oed. Tyr. extr. Oed. Col. 1125. Trach. init. — Herodot. I, 91 (III, 43. 64. 65. IX, 16) confer. cum Oed. Col. 252. Electr. 696. — Her. I, 126. (*θείη τύχη* III, 139. IV, 8. V, 92) confer. cum Phil. 1316. 1326. Oed. Col. 1585. 1694. — Her. I, 204. confer. cum Aj. 777. — Her. I, 207. confer. cum Oed. Col. 7. 42. 90. 115. Electr. 998. Trach. 129. 225 sqq. — Her. VII, 46. confer. cum Ajax 125. Oed. Tyr. 118. Col. 1225. — Herod. II, 35. confer. cum Oed. Col. 337 sqq. Ant. 620. — Her. III, 119. confer. cum Antig. 315. 900 sqq. Oed. Tyr. 118. Col. 1225.

Esse quandam inter Herodotum et tragicos ingeniorum et animorum cognitionem, etiam ex eo apparent, quod veriores purioresque quaedam de numine divino opiniones iis communes sunt, praecipue

<sup>1)</sup> Plut. An seni ger. resp. c. 3. τοντὶ δὲ ὄμολογον μένως Σοφοκλέονς ἐσὶ τὸ ἐπιγραμμάτιον.  
Ωὐδὴν Ἡροδότῳ τεῦχε Σοφοκλῆς ἐτέων ὡν  
Πέντε ἐπὶ πεντήκοντα.

quod neque illum neque hos in eorum numerum referendos esse constat, qui omni voluntate libera sublata caeca quadam fati necessitate omnia fieri opinati sint. De tragicis hanc sententiam veram esse, omnes ii consentiunt, qui eorum intimas cogitationes et sensus maxime assecuti esse putandi sunt (cf. Dronke de Aeschylo et Sophocle). De hac Herodoti opinione infra explicabitur.

Sophoclem saepius quasdam vulgi opiniones secutum ejusque in modum locutum esse videri, a doctis viris affirmatum est. Neque enim acumen ingenii mentisque aciem Sophocles voluit solos esse fontes, ex quibus summa sapientia veritatisque cognitio repetenda esset, sed sanctimoniam, integritatem, innocentiam animi. Quemadmodum Herodotum de humanis rebus gravius tristiusque existimasse videamus, sic Sophoclem saepius gravibus iisdemque fere atque apud Herodotum verbis omnia humana queri fluxa atque mobilia esse legimus, eumque accerrime sensisse, quanta esset hominum fragilitas atque imbecillitas cum corporis tum animi, cum rerum tum consilii. Ubique homines in divini numinis potestate esse, omnes res sua providentia ac sapientia administrantis, cui illos ita se subjecere et obedire oporteret, ut sensu divinae voluntatis capto non inviti, sed suo arbitrio et libere agerent. Hanc autem divinam omnium rerum administrationem atque procriptionem eum habere finem propositum, maximeque in eo esse occupatam, ut ex summae divinaeque rationis legibus omnia fierent et apte justaque evenirent, ut ad extreum omnium honestarum rerum aequalitas ac moderatio conformaretur et conservatur. Quum Aeschyli de divina providentia eam fuisse sententiam viderimus, ut diceret, illam maxime in summa justitia suum cuique tribuente cerni, ut et singulis hominibus et totis familiis, prout cujusque ingenium, mores, facta fuissent, prout quisque culpam aliquam in se concepisset aut ab ea vacaret, ita adversae aut secundae res necessario evenirent, Sophocles tamen divinum consilium, quo omnia regarentur, latius pertinere sensit, neque ad singulos vel pauciores illud contrahendum esse, sed etiam supra istam singulorum sortem elatum universos et universa spectare, ut cum eo, quod in universa rerum historia conspicuum est, illud consentire videatur.

Jam suspicaberis, quale id sit, in quo Sophocles et Herodotus inter se similes fuerint. Quamquam enim neque Sophocles negavit, suos quemque mores ulcisci, tamen non obscure ille saepius significavit, non separatim ab universis singulos esse considerandos, sed cum universitate totius vel gentis vel generis humani consociatos quasi unius corporis membra. Nam a numine divino singulos suo quemque loco ita ad universam communitatem compositos ac constitutos esse, ut huic illos cedere atque obtemperare, ut suam voluntatem divinae subjecere oporteret, qua in re veram pietatem ac religionem cerni. Quum autem hominibus, non solum ut singulis, sed maxime ut inter se connexis et in unum quoddam corpus copulatis, qui nec divellendi nec distrahendi omnes omnium fortunae atque sortis participes essent, res casusque obvenirent, ab ipso deo sapientissimo, si divina omnium rerum ratio et providentia postularet atque requireret, saepius res ita institui, ut interdum in illos quasi innocentes, nulla praecipua culpa concepta aut insigni delicto commisso, gravissima incommoda redundarent et fatali malo adversaque fortuna illi conflictarentur. Homines enim, ut decreta consiliaque numinis divini exsequerentur, saepius ab hoc ipso in talem rerum conditionem taleque discrimen adduci, ut illi sua voluntate atque optimo consilio utentes, quae esset humana infirmitas atque imprudentia, suo mentis errore fallerentur, ut etiam res, a se ipsis anxie vitatas, sed a deo sapiente jam multo ante provisas, ipsi nescii maturarent atque efficerent. Ab ipso autem numine divino in errores peccataque induci neminem, nisi quis jam ante sua ipsius animi pravitate ac cupiditate occaecatus a recta via abductus esset. In vocabulis

*Ἀλαστόρ et Έρινύς* quae vis insit, ex Oed. Col. 788. 1300. intelligi licet; eum enim eorum esse sensum Sophocles voluit, ut ipsius malae mentis pravaeque voluntatis conjunctionem cum mala indole alicui ingenerata atque quasi hereditaria significant (cf. Nagelsb. nachhom. Theol. 335. 482). Suas quemque malas cogitationes conscientiasque animi terrere, Sophocles existimavit, ut homines iis commoti ad sanitatem atque ad deos reconciliandos se converterent. Ut Herodotum, ita Sophoclem se ad mysticas quasdam res studiis inclinasse, certissimis argumentis usus demonstravit Dronke p. 86 sq. Solum verumque deum ex ceteris diis unum Jovem esse, non ita egregie a Sophocle illustratur, ut ab Aeschylo factum esse videmus, sed illi eas de diis narrationes potissimum placuisse cognoscimus, quae non contrariae fuerint vulgi opinionibus. Has autem co emendavit atque correxit, quod longe aliter eas explicavit et longe alias res inde repetendas esse putavit. Nunquam enim humilia sensit aut sectatus est, sed cum religionem ac pietatem erga deos, tum modestiam et justitiam erga homines gravissime plus semel omnibus commendat. Quae pracepta atque pietas per omnes ejus fabulas ita disseminata sunt, ut penitus ab iis percipientur, qui eadem quae poeta in animo habeant. Quod idem de Herodoto dici potest. —

Necessitudo ac cognatio, quae inter tragicos poetas et Herodotum intercessit, denique et in compositione totius operis et in praecipuo ejus consilio cernitur. Ut enim illis id propositum erat, ut pietatem et moderationem egregie commendarent, ita Herodotus sanctissima religione perfusus opere suo id egit, ut omnibus rebus numen divinum, omnia suo nutu atque arbitrio regens et omnia immodica reprimens, interesse idque pia reverentia omnibus mortalibus, non ex omni parte beatis, maxime esse colendum ostenderetur, unde quum omnis rerum commemoratio in cum solum finem instituta videatur, quibus quasi documentis praecipuae ejus sententiae comprobarentur, jure ac merito historiam Herodoti religiosam quandam nominari posse, qualis nec ante eum nec post eum unquam fuerit, nemo non intelliget. Etiam rerum ejus dispositio, singularum partium ordo atque cohaerentia multum differunt ab iis, quae Thucydides aliisque historici secuti sunt. Atque ea ratio, qua praecipuarum rerum narrationem Herodotus composuit, haud inique comparari possit cum iis fabulis, quas tum illi poetae docebant; est enim ea quaedam historica fabula, in qua Persicum imperium, quasi ejus primaria persona, ante oculos ponatur, quemadmodum illud nimia immodestia et superbia elatum ab ipso numine divino concussum postremo ut ita dicam tragicè perierit. Etiam singulae tamquam secundariae partes, quae ad summam totius illustrandam conspirantes operi insertae sunt, eandem cum scenicis fabulis similitudinem confirmant ex. gr. VI, 61. 72. 75 sqq. 109. 132 sqq. 135 sqq. VII, 10. 18. 19. 27. 35. 37. 42. 46. 57. Nam ut illarum veterum tragediarum vel maxima virtus et ars in eo cognoscitur, quod etiam singula quaeque ita eliguntur atque componuntur, ut ad summum fabularum propositum spectent, ita Herodotum illorum instituta rationesque secutum videmus eas potissimum res elegisse atque composuisse eamque rerum interpretationem amplexum esse, quae maxime ad illud unum, in quo quasi summa et confluum totius continetur, conspirare maximeque id confirmare viderentur<sup>1)</sup>. Hujus generis exempla repetenda sunt cum ab aliis, tum ab iis, quae de Croeso, de Polycrate, de Cleomene VI, 75 et 84, de

<sup>1)</sup> De hoc rerum delectu et interpretandi ratione Herodoti propria nuper planissime exposuit J. Fechner, vir doctissimus, in scriptione: *Quantum Herodoti religio ac pietas valuerit in historia conscribenda* (Bromberg 1861) cf. p. 8. 14 sqq. 17. 22 sqq.

Miltiadis morte VI, 135, de consilio illo, quod Xerxes ante susceptum bellum habuerit, narrantur, quae Sosicem dicentem facit V, 92, praeterea quae de Artabano et Demarato VII, 35 sqq. 46 sqq. 103 sqq. 234 sqq., quae de Cyro ejusque regno et exitu I, 95. 124. 204. 214, quae de Dario ad regiam protestatem evecto ejusque modestia III, 80. 85 sqq. 134. VI, 119, quae de Xerxis in Asiam reditu VIII, 117 sqq., quae de fama victoriae apud Plataeas partae ante pugnam apud Mycalen initam in ora Asiae divinitus orta IX, 100. ab Herodoto suam rationem secuto traduntur, denique quae Themistoclem dicentem facit, qui cives prohibuerit, ne Persas fugatos persecuerentur, nam non eos id effecisse, sed numen divinum, quod unum hominem Europae et Asiae imperare nolle VIII, 109, 143.

Sed jam veteribus quibusdam scriptoribus Homeri aemulus Herodotus visus est; nam Dionys. Hal. Ep. ad Pomp. p. 772 Οὐέρος ζηλωτὴν et Longinus 13, 3. Ομηρικότερον eum appellaverunt. Recte sine dubio, si quis narrationis candorem summamque ejus simplicitatem et suavitatem, magnam rerum varietatem atque permultas illas quae dicuntur digressiones, fusum sermonis genus, dialecti quasdam formas unice spectaverit. Praeterea ubique aliquid simile inter historiam et epicum carmen deprehendi poterit. Verumtamen ut Herodotus genere erat Doricus homo, Jonicam sibi adsciscet dialectum, ut tragicum carmen ex Jónico et Dorico ortum mixtumque est genus, ita in ipsa nostri scriptoris praestanti singularique natura tum animi quandam altitudinem atque gravitatem, quae omnia mente et cogitatione complectitur, tum facilitatem quandam, quae omnium, quae oculis auribusque percipi possunt, perstudiosa est, ita opus Herodoti virtutes ac praestantias et epicu et tragici carminis in se conjunctas interque se conspirantes habere mihi deprehendisse videor. Similemque ejus dialecti qua usus est rationem esse, jam abhinc viginti annos viris doctis probare conatus sum. Etenim praeterquam quod saepissime et argutas disceptationes multaque dicta, suis aequalibus, imprimis tragicis usitata, quosdam homines loquentes facit, et novas quasdam sententias, sui temporis suaequae rationis proprias, a consuetudine veterum epicorum discedentes exhibuit, etiam causarum implications rationesque illae vel maxime involutae atque impeditae, tum magna illa discrimina, denique illa quasi enodatio atque aequus mirabilisque discordiarum exitus, haec omnia satis docent, ad quod potissimum exemplum ille historias suas composuerit. Consideres injurias illas et a barbaris et a Graecis utrumque illatas, iteratas, repetitas, mala illa inter se apta et cohaerentia, deinde narrandi rationem, qua origines Mermnadarum et Persarum regni atque interitus exposuerit. Quomodo tragicis illius temporis poetis propositum erat, ut Atridarum et Labdacidarum casus et interitum a primaria illa injuria et culpa concepta repeterent atque conspiciendos exhiberent, eodem modo Herodotus casus cladesque Asiae i. e. Persarum repetit a primaria illa Asiae injuria, quae novas deinceps genuerit, dum tota gens Persarum gravissime afflita sit. Praeterea eandem invenimus opinionem, homines ad conjunctionem communitatemque natos non ut singulos excipere casus, sed fortunae totius generis a numine divino et fato constitutae participes ei parere atque obedire illos oportere liberos. Multa etiam inter se comparanda ab iis repeti possunt, quae Herodotus et Sophocles retulerunt de Croeso et Oedipode, quorum uterque pio deorum cultu insignis, gravibus malis agitatus, denique in gratiam cum diis rediit.

Restat ut moneam, sicut in fabulis illis nonnunquam hominum, quos in scenam producunt, sententias et quaedam dicta rei agendae necessaria ab ipsorum poetarum opinione separanda esse constat (cf. Dronke I. I. p. 36 et Schilleri nostri Prolog. ad Wallenst. v. 108 sqq.), ita non omnia, quae Herodoto relata referenda sint, cum ipsius sensu congruere atque consentire, sed eum omnibus investi-

gandis atque inter se comparandis eruendum esse. Etiam ipse se omnia, quae sibi relata sint, referre, sed non omnia se credere profitetur pluribus locis, cf. II, 12. 122. IV, 134. 173. 195. VI, 80. VII, 152. ἐγὼ δέρειλω λέγειν τὰ λεγόμενα, πείθεσθαι γε μὲν οὐ παντάπασι δέρειλω, καὶ μεν τοῦτο τὸ ἔπος ἔχειν εἰς πάντα τὸν λόγον.

Sed in media via consistere cogor, reliquas hujus disputationis partes alia opportunitate oblata absolvam.

**Bredow.**

